ABIGAIL

MELODRAMA

IOANNIS SANCTORII

DECANTANDVM

In Sacello Archiconfraternitatis

SANCTISS. CRVCIFIXI

Musicis Modulis adaptatum

A FLORIANO ARESTI

BONONIENSI.



ROMÆ, Typis Ioannis Francisci Buagni. 1701.

Superiorum permissu.

ARGOMENTO.

Mentre Dauide s'ascondeua all'Ira del Rè Saulle entro 'l Deserto di Faran, ridotto con le sue Truppe in Penuria di Vettouaglie, fece richiederne à Nabal ricco Pastor del Carmelo, in Tempo che tosando Questi la Greggia, stauasi in Feste, e Conuiti co' suoi Pastori. Negò scortesemente Nabal il ricercato Soccorso; Onde Dauide di giusto Furore acceso, già si mouea per ottenerlo con l'Armi; Quando Abigail Consorte di quell'auaro Pastore, per opporsi all'imminente Periglio, portò di furto à Dauide i negati Alimenti, e riuscitole di placarne lo Sdegno, fù ancora dal Medesimo riceuuta in Isposa, doppo che Nabal fù della sua Auarizia da Dio punito, con esser tolto alle Ricchezze, ed al Mondo. Regum lib. 1. cap. 25.

LOQVVNTVR

DAVID
ABIGAIL
NABAL
DVX Militum Dauidis.

PARS

PARS PRIMA.

Dauid, Dux.

Dau. FErarum Domitor, fortis Gygantum Tremor,
Dauid Inuictus, Audax;
Nunc, heù, Mendicus, Vilis, Inglorius, Inops,
Fame potiùs, quàm Ferro
Cadam, & cadent Mecum
Turbæ tot innocentes,
Quas sola Ærumna mea facit Nocentes!
Heù! Generosa magis
Corda Meorum sæuus iam Languor fregit:
Arma Vix Miles regit;
Dumque ad Clypei Fulgorem
Proprium spectat Pallorem,
Plus Hoste Vultus forsan horrescit suos!
Planctus ah siste tuos,
Siste, Miles Inuicte; & diram Famem
Istis Lacrymis pasce, & bibe lętus
Nostros pro Lympha Fletus.
Istis in Lacrymis,
Velut in Speculo,
Vestrum cognoscite,
Astra, Rigorem.
Dumque mea Lumina
Fundunt duo Flumina,
Illis extinguite
Vestrum Furorem. *Istis in &c.*

Dux. Desine, Inuicte, queri;
Nam tota Agminis Pœna
Pendet à Fronte tua Nubibus plena.
In serenam conuerte Lętitiam
Cordis Męstitiam,
Surgat lętus vt Militum Clamor.

Fugiat Dolor è Vultu magnanimo,
Fortique in Animo
Vetus Gloriæ repullulet Amor. In &c.

Dau. Nabal vicinus Pastor,
Nabal diues Carmeli Incola Montis,
Suum si præstet Auxilium,
Leuabit Pœnas meas, Famem, Exilium.
I; Nabali mea Vota, Amice, expone,
Et ad Opem dispone; Det Rogatus,
Quod raperem Armatus.

Dux. Vadam quò Pietas vocat,
Quò Princeps iussit meus;
Remittat Me Voto potitum Deus.
O Qui Cęli, Terræque Serenitas,
Et Fons Lucis, & Arbiter es;
Vnde regis æterna tua Sydera,
Mitis considera
Nostra Damna, Languores, & Spes.
O Qui &c.

Nabal, Abigail.

Nab. Mergite in Cyathis
Animi Nubila,
Surgite ad Iubila,
Lęti Pastores.
Frontes, & Pocula
Cingite Floribus,
Ludite Fistula,
Dicite Amores. Mergite &c.
Inter Conuiuas, inter
Pecudes coronatas,
Inter Coniugis tui lętos Clamores,
Sola, Pars Cordis mei, Sponsa fidelis,
Sola parcis Lętitiæ; & tantas Opes,
Tot mea Bona miraris,
Quæ sunt etiam tua Bona, & non lętaris?

Abig.

Abig. Nabal, amate Nabal;
Non exhilarant Bona,
Quæ fugitiua, breuis
Radij fulgent Nitore,
Et ſemper torquent Cor Fugæ Timore.
Roſa, quæ moritur,
Vnda, quæ labitur,
Mundi Delicias
Docent fugaces.
Vix Fronte amabili
Mulcent, cùm labili
Pede præteruolant,
Laruæ fallaces.
Roſa, quæ &c.
Nab. Alia, dulcis Abigail,
Alia ſunt Documenta Vndæ labantis;
Et Roſæ purpurantis.
Roſa dulci Rubore iucunda
Nos ad lętos inuitat Amores;
Dumque Riuuli murmurat Vnda,
Molles Oculis vocat Sopores.
Roſa dulci &c.

Nabal, Abigail, Dux.

Dux. O Cui Nemus Carmelum
Tot numerat Armenta, educat Greges,
Quot Aſtra educat Cęlum.
Dauid, Cuius ſub Armis
Diù Gregis tui tuta obdormiuit Quies;
Qui nunquam veſtros Dies,
Pacemque veſtram Lituis turbauit ſuis,
Fame victus langueſcit,
Et cum Ductore ſuo Miles palleſcit.
Tanti Tu potes Regis
Vitam ſeruare; Ad Te confugiens orat;
A Te Militi ſuo Victum implorat.

Vince Magnanimus noſtram Inopiam;
Sic Tibi Copiam
Bonorum augeant Cęli Fauores:
Sic donent Sydera ſemper ſerena
Ouilia plena,
Et ſeruent Hyemis contra Rigores.
Vince &c.
Nab. Dauid? Quis iſte Dauid
Noſtri Defenſor Gregis?
Ignotum Nomen noſtras ad Aures tonat!
Dux. Ignotum Nomen? Dauid, Qui Monſtra terret,
Sæuas Qui domuit Feras.
Nab. Sed magè rabidas Feras abſcondit Sinu.
Dux. Regis Qui vicit Hoſtes;
Nab. Sed Ipſe maior proprio fit Hoſtis Regi.
Dux. Quo fulminante, ferox in Valle Campum
Ore Gygas momordit.
Nab. Sed Ipſe Nobis grauior inſurgit Gygas.
Dux. Quæ iactas, Demens?
Nab. Duci reportes tuo,
Quod noſtri Opibus Gregis
Non Hoſtes, & Rebelles,
Non paſcuntur Infidi, & Perduelles.
Inſepulta per Specus horrentes
Erret Vmbra Paſtoris audacis;
Aura Cineres turbet algentes,
Nec Mors ipſa det Munera Pacis.
Inſepulta &c.
Dux. Dabis, Inſane, dabis
Pœnas Superbiæ tuæ: Iam noſtris Armis
Ingrati Nemoris longa turbatur Quies;
Iam laniati per Agros
Ferro ſparguntur Greges;
Iam per Enſem Illius,
Quem Rebellem vocaſti, & Proditorem,
Vomes auarum Cor, Vina, & Cruorem.

Ingrate,

Ingrate, Perfide,
Redibo ad Te.
Si nunc ſpernis Supplicantem,
Fulminantem
Armis victricibus
Horrebis Me. Ingrate &c.

Abigail.

Abig. Nabal, incaute Nabal,
Duci tam formidato
Leue Subſidium negas?
Quot Ærumnas, quot Mala
Feret Repulſa tua, Coniux ingrate!
Iam Dauidis armatæ
Circumſonant Phalanges;
Iam Syluarum quietas
Ferrea Lux turbat Vmbras;
Iamque Tubæ ad Clangorem
Territæ, Natos flentes
Premunt Vberi ſuo Matres dolentes.
Sibilat Auribus
Fragor Armorum.
Diſcedit Quies,
Lętoſque Dies
Triſtis obnubilat
Vmbra Dolorum.
Sibilat &c.
Inter Pocula, & Dapes
Dum Vir luxuriat meus,
Menti Conſilium noſtræ inſpirat Deus.
Obuiam Dauidi irato
Dono occurram negato,
Lacrymæque cadentes
Extinguent regio in Corde Iras ardentes.
Mentis prouidæ ſagax Prudentia
Vanæ Mentis excuſet Errorem;

Et rogata Dauidis Clementia
Noſtra ferat à Culpa Splendorem. Mentis &c.

Dauid, Dux.

Dau. Hoſtis Ego, & Rebellis?
Infidus, Perduellis?
Paſtoris Ope Indignus?
Crimine neſcio quo videor, heù, dignus
Pati Regis ingrati Iram vltricem,
Niſi forte ſit Culpa eſſe Infelicem.
Sed veſanam Superbiam
Animi pertinacis
Vobis Milites, Jo, ſpectat punire;
Fræna ſoluantur Iræ,
Et ſentiat Inimicos,
Si Vos ruſticum Cor ſpreuit Amicos.
Ite Fortes; ad Arma volate;
Fulminate,
Qui Vos tumens ad Arma vocauit.
Quis reſiſtet Dauidi furenti?
Arma Habenti
Cuncta dabit, Qui Iuſta negauit. Ite &c.

Dux. Ite, Ite : Feroces, & Fortes
Cædes, Mortes,
Et cruentum indicite Bellum.
Hoſtis improbi Faſtum domate,
Et monſtrate
Iuſtum Cęli Vos eſſe Flagellum.

Dau. Ite,
Dux. Ite,
A 2. Feroces, & Fortes
Dau. Cædes,
Dux. Mortes,
A 2. Et cruentum indicite Bellum.

Finis primæ Partis.

PARS

PARS ALTERA.

Abigail, Dauid.

Abig. QVO Te, Maxime Regum,
Bellicus rapit Ardor?
Quo iuſtæ Impetus Iræ? Ah ſiſte Flammas
Fulminis iam parati,
Siſte, precor, ingrati
Paſtoris vindicare impium Rigorem;
Et Crimen Sponſi errantis
Dona Fletibus Sponſæ ſupplicantis.
Audi voces Lacrymarum,
Quæ facundo Silentio perorant.
Crimen Coniugis auarum
Vt excuſes, Pietatem implorant. Audi &c.
Dau. Fęmina tantùm Nefas
Defendit audax? Fęmina noſtras Iras
Sperabit Fletu tandem extinctas ſuo?
Ite, Milites, ite; Infandum Scelus
Veniam nullam meretur;
Qui ſpernebat Clementiam,
Spernat, ſi poteſt nunc, ſpernat Potentiam.
Abig. Per hos, Inuicte Princeps,
Regales tuos, quos nunc amplector, Pedes,
Dona lacrymis meis Crimen Conſortis.
Non eſt Dextera fortis
Digna ſanguine tingi inermis Viri;
Nata ad Cædes Leonum,
Spernat Agnos imbelles;
Nec in vilem Paſtorem
Perdat regium Furorem.
Dau. Quis Affectuum Tumultus
Diuidit hinc, atque hinc Mentem labantem,
Animam dubitantem?

Furor

Furor ſenſim tepeſcit;
Senſim feruido in Corde Ira langueſcit!
Abig. Hæc Dona, parua quidem,
Tanto at debita Regi,
Sume, Ductor Excelſe, & ſume in Illis
Non Muneris Splendorem,
Sed Donantis Amorem.
Parce, parce: Sic ſemper virentes
Tibi Cęlum det ſurgere Lauros;
Nec inermis, & vilis Paſtoris;
Sed maioris
Donet Hoſtis prædari Theſauros.
Parce &c.
Dau. Sentio Me Mihi raptum,
In Dauide Dauidem non inuenio;
Neſcio qua Flammâ Pectus,
Neſcio quo totus Igne ardet Affectus!
Habe Quodcumque vis; ignoſco Crimen,
Dono Culpam Mariti:
Vade, Fęmina mei Victrix Furoris;
Vade Victrix Victoris.
Satis amplam Mercedem
Muneris, quod dediſti,
Reportas Cor, quod Dauidi abſtuliſti.
Manu dubia, & palpitanti
Quero Cor in Sinu amanti,
Quero Cor; At! non inueni.
Amor Illi Alas donauit,
Et in Oculos volauit
Roſei Vultus, & ſereni.
Manu &c.
Sed naſcentes Affectus
Animæ delirantis
Comprimat regium Pectus,
Et vincat Ducis Cor Nomen Amantis.

Nabal.

Nab. Cur non venit Bellator horribilis?
Quò vanescunt promissi Terrores?
Forsan Hasta circumdata Rosis,
Comis Auro, Myrrhaque speciosis
Plusquam Bellum, accendit Amores. Cur &c.
Quid, vanas iactans Minas
Poterit Vir imberbis?
Veniat; agitet Dextram fulminantem,
Rotet Fundam sonantem,
Vel suscepisse in Nos Bellum pigebit;
Vel post Pugnam, Victoriæ pœnitebit.
Propria sed feruens Ira
Fatiscit Pectus; tremunt, & labant Pedes,
Languescunt Vires, & circum Caput volat
Atra Doloris Vmbra!
Quis ignotus Pœnarum Tumultus
Medio sæuit iu Pectore irato!
Sentio quidem, sed nescio quo Fato;
Mei Me torquet Furóris Insultus!
Morior Pastores, heu; morior, Amici,
Sponsa, Sponsa vbi es? Vanescit Animus,
Deficit Cordis Vigor,
Pallet Oculis meis Solis Quadriga;
Abigail, Abiga......

Abigail.

Abig. Quæ Vox infausti Gemitus Susurro
Funestat Aures? Nabal!
Quis iste Languor squallido in Vultu sedens?
Quis atra Puluis Nube
Sparsos fędauit Crines?
Quis in Mortis Horrores
Vertit Frontis Honores?
Coniux infelix, heu! Coniux amate!

Qualem

Qualem visura huc venio;
Qualem reliqui Te, Qualem inuenio!
Quam lacrymabilis
Humana Sors;
Si Voluptatem
Iucunditatem
Ineuitabilis
Sequitur Mors! Quam &c.
Vanam humanæ Mentis,
Vanam Prudentiam! Quid placasse iuuat
Iram Dauidis? Heu! Dauid vicisti,
Hostem tuum domuisti;
Pro Te Cęlum pugnauit,
Ante Pugnam pro Te iam triumphauit.
Sola Abigail infelix
Inter Victorias tuas (heu duram Sortem!)
Flet amissum Consortem.
Ite in Lacrymas, ò Lumina;
Ite in Flumina
Doloris.
Sponsi Funus deplorate;
Lacrymate
Plusquam meas, Pœnas Erroris. Ite &c.

Abigail, Dux.

Dux. Pone Modum Querelis,
Pone, Abigail formosa: Iniusti Viri
Tędis Te rapuit Deus,
Iustior vt habeat Te Sponsam Maritus:
Nosce propitiam Sortem,
Nosce Cęli Fauorem;
Rapit enim Pastorem,
Vt Regem det Consortem.
Lacrymis tam formosis
In Genis tam speciosis
Lętatur ipse Dolor,

Superbit

Superbit ipſe Fletus.
Ah ſiſtat prudens Pectus
Tam debiles Affectus,
Et ſit ad Nutus Cęli Animus lętus.
Lacrymis &c.

Dauid.

Dau. Floræ Decus, Aprilis Honores,
Veris Amores,
Lylia candida, blandulæ Roſæ;
Vos fulgetis amatis Labellis,
Amatis Ocellis
Minus nitidæ, minus formoſæ. Floræ &c.
Ex quò per Oculos fecit ad Pectus Iter
Dulcis Imago Vultus, & ſerena
Luce Cor vulnerauit,
Velut Illa volanti altè Sagitta
Cerua Latus afflicta,
Pacem Dauid amiſſam deplorauit:
Vtque æſtiuos anhelans per Ardores
Quærit Cerua Liquores;
Flammam ſic Ipſe meam miſer ſuſpiro;
Et per has Errans Syluas,
Quod nimis eſt in Me, foris exquiro.
Zephyri tremuli
Chloridis æmuli,
Carmeli ad Culmina
Pennas leuate;
Et ab amabili
Fronte adorabili
Radium dulciſſimum
Ad Me portate. Zephyri &c.

Dux, Dauid, Abigail.

Dux. Lętare, Inclite Princeps,
Lętare; Votis nullus iam reſtat Locus:

Nabal

Nabal extinctus iacet,
Amissum Vidua plorat Abigail Virum,
Tali Gemitu indignum.
Tu Plorantis Mestitiam
Verte in Thalami tui nouam Letitiam.
Cerne, quam tenero
Fletu purpureas
Irrigat Genas!
Non tam decora
Luget Aurora,
Cum Celi illuminat
Plagas Serenas. Cerne &c.

Dau. Sæpè Sceleris Pœna est ipsum Scelus.
Vt puniret Ingratum
Induit vindictas meas Numen iratum.
Sed Tu desine flere,
Dilecta Abigail; Coniux non meret tuus
Lacrymas tam decoras;
Virum inuisum Deo nimis honoras.
Et quid flere opus est? Dedisce Fletus:
Si Sponsum perdidisti,
In Dauide inuenisti.

Abig. Quis Libertatem flendi
Auferat Infelici? Hoc de tot Bonis,
Hoc vnum restat Mihi,
Nempè, quod flere meos possim Dolores;
Tempus ad Fletus est, non ad Amores.

Dau. Dulces Oculi, gemini Soles,
Langueo vestris accensus Pupillis:
Vos aut Vulnera facta sanate;
Vel cessate
Vestris vrere Corda Fauillis. Dulces &c.

Abig. Ah nimis citò, ab Vrnâ
Transire ad Thalamum Viduam merentem iubes.
Da meo Spatium Dolori;
Tuo da Tempus Amori;

Dau.

Dau. Quid Te Luctibus tuis vltra relinquam?
Vt tuis ex Oculis Fletus effundas meos?
Vt Qui meas ferrem Pœnas,
Pœnas non feram tuas? Ad terge Rores,
Terge Frontis amatæ;
Nec, vt vana Pietate
Sis Extincto Fidelis,
Sis Dauidi viuenti Impia, & Crudelis.

Abig. Mortis Nubila,
Thalami Iubila
Mentem diuidunt,
Agitant Pectus.
Hinc est flendum,
Et isthinc gaudendum;
Sic Me geminus
Torquet Affectus. Mortis &c.

Dux. Adhuc incerta pendes?
Adhuc dubitat Cor? Extinctum licet
Viuo præferre Amanti?
Et Dauidi negatur Supplicanti,
Quod obtineret Vi Dauid iratus?

Abig. Plusquam Dextera Illius, Vultus armatus
Iaculis in Me pugnat;
Et per Lumina Cor tacitè expugnat.

Dau. Non sum Dauid Fulminator;
Non sum Bellator
Tibi, mea Spes.
Sed Tu Mihi es formidabilis,
Quæ Pugna amabilis
Mei Cordis es. Non sum &c.

Dux. Vos Rosarum Catenis
Stringat per Palmas Hymen, & Constantes
Animas inter Vos nectat Amantes.
Vndæ, quæ murmuratis,
Auræ, quæ susurratis,
Volate, celebrate

Dauidis

Dauidis lętam Sortem;
Et per apricos Calles,
Per Nemora, per Valles
Sponsum ingeminate,
Indicite Consortem. Vndæ &c.

Dau. Grates Tibi, Superne
Amor, Amorum maxime, Qui tanta
Ducis è Malis Bona.

Abig. Menti fęmineæ dona,
Sponse, Moram, quam feci,
Meritis dura tuis: Extinguo primam,
Tibi nouam in Sinu excito Flammam;
Et Dexterâ, quam tendo,
Æternam Cordis mei Fidem ostendo.

Dau. Mollis Dextera. *Abig.* Dextera fortis,

Dau. *Abig.* à 2. Tu Me viuo Candore / clarâ Virtute serenas.

Abig. Fortunata Repulsa Consortis,
Dau. Fortunati Dauidis Languores,
Abig. Si tam lętos produxit Amores;
Dau. Si tam dulces fecere meas Pœnas.
Dau. Mollis Dextera,
Abig. Dextera Fortis,
A 2. Tu Me &c.

F I N I S.